



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Bono Sodalitatis Partheniæ, Et Officiis Sodalitatis Erga Deiparam Patronam

Bourgeois, Jean

Antverpiæ, 1622

Cap. 18. De altero sexu vitando, ac honorando.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48699](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48699)

CAPV T XVIII.

De altero sexu vitando & honorando.

VT illustris est maximè, decora & eximia virtus castitas, ita est admodum tenera, delicata, fragilis, quæ facillè violetur, summa cura ac vigilantia conseruanda. *Habeimus, (inquit Apostolus) thesaurum istum in vasis fictilibus, vt sublimitas sit virtutis Dei, & non ex nobis.* In carne velut extra carnem viuere angelicum est & diuinum. Operosum igitur, & minimè cuiq; obuium, nisi & magna vis adsit diuinæ gratiæ, qua natura corrupta comprimatur, & ad eam magna quoque nostra accedat circumspectio, assidua vigilantia & prouidentia, qua pericula omnia submoueantur. Habet & pudicitia seruata martyrium suum. Quamquã hoc genus pugnæ fuga magis nititur quã pugna: hîc pugnare fortiter, celeriter est fugere, & à blandientibus obiectis oculos animumque auocare; mox sese ab hoc

2. Cor. 4. 7.

*Hieron. in
vita Mal-
chi.*

hoc hoste eripere, vincere est. Vis illa mollis ac blanda repudianda est, penitus auersando, potius quam adhibita contentione contranitando repellenda. Fugite, monet idem Apostolus, fornicationem, & alterum sexum qui ad illam allicit & prouocat. Nūquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta eius non ardeant; aut ambulare super prunas, ut non comburantur plantæ eius? Sic qui ingreditur ad mulierem proximi sui, non erit immunis cum tetigerit eam. Qui amat periculum, peribit in illo. Plenæ sunt sacræ Litteræ istiusmodi monitorum, plenæ exemplorum historiarum, pleni sanctorum Patrum Ecclesiæ Doctorum libri de altero sexu præcauendo, præsertim adolescentibus ac iuuenibus, quorum ætas in lubrico maximè posita est, & oleum ad caminum adijci, aut igni paleam ad moueri omnium ætatum minimè requirit. Ut gloriosior est in virili sexu, sic & seruatu difficilior castitas, siue ob temperiem corporis feruidiorem, ex qua & acriores stimuli crebrioresque naturæ deprauatæ motus impetusque consurgunt;

Prov. 6.
v. 27. 28.

Eccl. 3. 27.

gunt; siue quòd se plures viris offerunt occasiones lapsus, cùm sine arbitris liberè vagentur, neque tam arcta, vt puellæ, parentum custodia muniantur; siue quòd illo careant ingenito pudore verecundiaque, quod vnũ est præcipuum sexus alterius potentissimumque frænium, quo velut obice remoto, prostituuntur illæ miserrimè; siue denique, quod eòdem pertinet, quòd hominum opinione atque errore, minor inde viris inuritur nota atque infamia; quamquam par apud Deum & Angelos culpa contrahatur, & verò magis etiam in viris detestanda sit ea turpitudine. Adhæc, vt obseruat S. Basilius, sic à Deo mulier effecta est, vt masculo tota foret illecebra voluptatis, violentisque stimulis eum ad se raperet, non secus atque magnes ferrum vi quadam occultissima, vultu ipso ac toto corpore ita blando, ita molli ac tenero, vt & tactu & aspectu & motu, teneritudine & delectabili motione membrorum, virum ad se pelliceret, & inspiciens & inspecta sese illius sensibus ingereret. quo
fit

*De vera
virginit.*

fit vti celerrimè venenatum aliquod
reluminijciat, animamque sauciet pe-
stifera cupiditate. Qua de re verissimè
Poëta:

Vritq; videndo femina.

Et prudentissimè Iob aiebat: *Pepigi scæ-*
dus cum oculis meis, vt non cogitarem quidem
de virgine: quam enim partem haberet in me
Deus desuper, & hereditatem Omnipotens de
excelsis? Quod cuique Parthenio Sodali
summa cura peragendum est, ne à Bea-
tæ Matris excidat beneuolentia, & serò
lamenteur, Oculus meus depredatus est ani-
mam meam, in cunctis filiabus vrbis meæ. Ne
quod est apud D. Perrum eueniat: *Ocu-*
los habentes plenos adulterij & incessabilis de-
licti. numquam enim ea cupiditas exple-
tur, immensa est & infinita. Cui non suf-
ficit vna mulier, nulla sufficit. Quod
si ne quidem aspiciendæ sunt, multò
minùs ad familiarem adhibendæ ser-
monem, nec sine iusta necessariaque
causa visendæ aut alloquendæ, num-
quam omnino sine teste atque arbitro
conueniendæ. Pertinet ad omnes Hie-
ronymi monitum illud ad Nepotianum:

Iob 31. 1. 2.

Thren. 3. 51.

2. Pet. 2. 14

Ne

Ne sub eodem tecto mansites, nec in
 præterita castitate confidas. Nec sanctior
 Dauid, nec Samsone fortior, nec Salo-
 mone potes esse sapientior. Memento
 semper quod paradisi colonum de pos-
 sessione sua mulier eiecerit. Sit sancta,
 sit propinqua mulier, sit ætate prouecta,
 sit magna necessitudine tibi coniuncta,
 sit ipsa soror & mater; Euam semper cir-
 cumfert, Euæ semper est filia, quæ te
 molliore frangat ac perdat affectu. V-
 num salutis per fugium in fuga positum
 est, aut in altera quæ illi infelici subro-
 gata est Euæ spiritalis vitæ parente Vir-
 gine Maria in præsidium aduocanda;
 cuius ea fuit formæ prærogatiua, vt in-
 tuentes ad integritatis excitaret amorē.
 Cuius (inquit Ambrosius) tanta erat gra-
 tia, vt non solum in se virginitatis gra-
 tiam seruaret, sed etiam ijs quos viseret,
 integritatis insigne conferret. Ergo eius
 mente circumferenda species & imago,
 aduersus ceterarum mulierum illece-
 brosas formas, ne illæ vnquam nobis
 imprimantur; aut si inciderint, mox ob-
 literentur & eradantur. Aduersus earum
 pesti-

pestifera blandimenta Virginis suauissima Dei Matris opponenda recordatio: si quæ mulier amanda, si quæ virgo castis amoribus prosequenda, hæc sit vna Virgo Deipara omnium dignissima, pulcherrima, modis omnibus amabilissima. Huius honoris causa ceteræ sexus eiusdem honorentur à nobis; si quæ mulier vterum ferens occurrat, puerperæ Dei matris recordationem ingerat; si filium lactans, gremio fouens, manu deducens, in ea Virginem Deum infantem puerumque summa cura nutrientem contemplare. Veniat in mēte quod aiebat S. Hilariō mulier quædam Eleutheropolitana: Noli mulierem adspicere, sed miseriam, hic sexus genuit Saluatorem. Summo etenim honore & sexus alter à Deo cohonestatus est, cūm ex eo sibi delegit matrem, in qua, & ex qua sine viri consortio nasceretur. Quod viro datum non est, id feminæ datum vt Deiparans existeret, vti suos monebat sanctus Hugo Gratianopolitanus apud Surium. *17. Nouēbr.*

Huc pertinent quæ D. Hieronymus ad Præcipiam virginem disertè suis respon-

respon-

*Epist. extr.
de exposit.
Psal. 44.
Gen. 18. 11.*

respondet obtrektoribus, cur interdū scriberet ad feminas, & fragiliore sexum maribus præferret, comparans eam cum laudatis illis veteris instrumenti feminis: cum Sara, cui subditur Abraham, cum ei muliebria defecerant: Tu nūquam habuisti muliebria, sexus decoratur à virgine, Christum portat in corpore, iam possidet quod futura est. Cum Rebecca, quæ duos generat dissidentes: tu vnum quotidie concipis, parturis, generas vniōne fœcundum, maiestate multiplicē, trinitate concordem. Quæ se Deo consecrauerunt virgines, vti Spiritus sancti templa, deitatis quædam sacraria, Saluatoris Christi Domini sponsæ, beatæ Matris filiæ honorariæque pedissequæ verecundis oculis intuendæ sunt. Tum verò virtus illarum, despicientia rerū terrenarum, magnanimitas, fortitudo, constantia, quâ viros hodieque non rarò superāt in studio perfectionis, æmulanda. Sæpè sexus mentitur: in virili muliebris, in muliebri virilis inest animus: sæpè masculum pectus circumferunt, quæ sunt reliquo corpore delicatissimæ. Pie-
tas

tas certè & deuotio, quæ à Deipara in mulieres omnes manasse videtur, præcipuè celebranda est & imitanda. Nec dubitauit S. Carolus Borromæus in suo sepulchrali lapide litteris inscribere, quòd se deuoto femineo sexui commendaret. Verùm id omnino consultius sit, cum vita functis, & in empyreo cælo regnantibus virginibus, Agnete, Prisca, Barbara, Cæcilia, Afella, Aldegunde, quarum plurimæ & sæculum ætate vicerunt & tyrannum, & titulum castitatis martyrio consecrarunt, consuetudinem inire, quàm cum viuentibus adhuc infelicis Euæ infelicibus posteris; quæ quamuis prudentes & pudicæ, tamen illud blandum suæ matris venenum, & vultu & oculis & sermone & motibus corporis ingerunt atque instillant. *Qui ca-* Prov. II. 15.
uet laqueos, securus erit.

C A.